

quæ frigida appellantur, quod cum aliis semini-
bus collata, frigida videantur. Vehementer mo-
uent ea, quæ calida sunt, & sicca; Et hæc fuit Ga-
leni & Auerrois sententia, dum voluere, faculta-
tem diureticam semper sequi caliditatem & sicci-
tatem.

Menses mouentia, *useeind*, à diureticis in eo tan-
tū differunt, quod minus sicca esse debeant. Qua-
re calida sunt ordine tertio: sicca vero primo vel
secundo. Menses sistentia his sunt contraria, &
fere omnia frigida, quæ venerem sedant, & semen
extinguunt.

Facultas lac & semen generans in cibis & poti-
bus reperitur. Si vere lac & semen gignenda sunt,
non ex alio, quam ex optimis cibis & potibus na-
sci possunt. Hæc autem facultas partim in medi-
camentis, partim *n* in cibis consistit. In medica-
mentis hæ facultates sunt, quatenus succos pitui-
tosos efficiunt, qui in sanguinem vertuntur. In a-
limentis secundum totius substantiæ similitudi-
nem, vbi boni sunt succi, moderate humida & te-
pide calida. Quæ facultas sequitur caliditatem in
secundo gradu, absque vlla siccitate. Obiicitur
ex Auerroeo, Menses mouentia, ipso scribente, e-
iusdem esse generis cum iis, quæ lac generant. Iam
vero menses mouentia sicca esset debere: Lac au-
tem generantia calida sine siccitate, dictum fuit.
Respondetur, lac generare & menses educere,
contraria videri. Si enim lac fit ex sanguine men-
struo laudabili, tū is, si extra corpus ducatur, quo-
modo lac generabitur? Similitudinem quandam
haberi in facultatibus, quæ lac faciunt & menses
mouent,

o 5. simp. 21.

o 5. collect.
20.